

T8

*De rerum natura I, vv. 921-950***La medicina amara**

Nunc age, quod super est, cognosce et clarius audi.
 Nec me animi fallit quam sint obscura; sed acri
 percussit thyrso laudis spes magna meum cor
 et simul incussum suavem mi in pectus amorem
 925 Musarum, quo nunc instinctus mente vigenti
 avia Pieridum peragro loca nullius ante
 trita solo. Iuvat integros accedere fontis
 atque haurire iuvatque novos decerpere flores
 insignemque meo capiti petere inde coronam,
 930 unde prius nulli velarint tempora Musae;
 primum quod magnis doceo de rebus et artis
 religionum animum nodis exsolvere pergo,
 deinde quod obscura de re tam lucida pango
 carmina, musaeo contingens cuncta lepore.
 935 Id quoque enim non ab nulla ratione videtur;
 sed veluti pueris absinthia taetra medentes
 cum dare conantur, prius oras pocula circum
 contingunt mellis dulci flavoque liquore,
 ut puerorum aetas improvida ludificetur
 940 laborum tenuis, interea perpetet amarum
 absinthi laticem deceptaque non capiatur,
 sed potius tali pacto recreata valescat,
 sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
 tristior esse quibus non est tractata, retroque
 945 volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti
 carmine Pierio rationem exponere nostram
 et quasi musaeo dulci contingere melle,
 si tibi forte animum tali ratione tenere
 versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
 950 naturam rerum, qua constet compta figura.